



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCLV. Continuatio ejusdem Argumenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

## MEDITATIO CCLV.

*Continuatio ejusdem Argumenti.*

**P**UNCTUM I. Inter posteriores Petitiones, quibus mala amoveri rogamus, Prima est: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus Debitoribus nostris* Matth. 6. v. 12. Ultima verba S. Lucas explicat prout sicut ponendo *Siquidem: cap. 11. v. 4.* Itaque petimus quotidie, nobis peccata nostra, quibus **D E V M** offerimus, remitti, & condonari, sicut nos, five *Siquidem* & quia nos implemus conditionem illam, à Christo pro impetranda venia requisitam apud Matth. v. 12. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum (quibus offerati si estis) dimittet & vobis Pater vester Cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Unde, ut Pater Cælestis annuat Petitioni nostræ, imprimis agnoscere debemus gravitatem & frequentiam quotidianam nostrorum peccatorum: nam, ut inquit S. Cyprianus de Oratone Dominica, *Ne quis sibi quasi innocens placeat, se extollendo plus pereat, instruitur, & docetur, peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Jubemur autem orare: Dimitte nobis debita nostra: Et non, sicut quidam apud Matth. c. 18. v. 29. oravit: Patienter habe in me, & omnia reddam tibi.* Gravitas enim & multitudo nostrorum peccatorum tanta est, ut infinitæ Majestati læsæ ad æqualitatem satisfacere non possimus. Ideo corde contrito & humiliato cum filio prodigo Luc. 15. v. 21. necesse habemus dicere: *Pater peccavi in Cælum, & coram te: jam non sum dignus vocari*

*filius tuus.* Et sic de Paterna Clementia confidere licebit: si tamen & ipsi dimittimus debitoribus nostris. Ideo non solum omnem rancorem, odium, appetitum vindictæ ex animo ponere oportet, sed etiam illud, quod ipse Christus Matth. 5. v. 44. monet, explere: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui odierunt vos: & orate pro persequentibus, & caluminantibus vos: ut sitis Filij Patris vestri, qui in Cælis est: qui solem suum oriri facit super Bonos, & malos: & pluit super Justos, & injustos,*

PUNCT. II. Quia parum prodesset, commissa peccata tam quoad debitum culpæ, quam quoad debitum pænæ Paternâ Indulgentiâ dimitti, si nos in eadem, vel in alia relabi permetteret: ideo rursus Patrem rogamus: *Et ne nos inducas in tentationem.* Quamquam enim, ut S. Jacobus in Epistola cap. 1. v. 13. ait: *DEVS incentator malorum est, ipse autem neminem tentat:* Dicitur tamen inducere, quatenus dicitur facere id, quod permittit. Itaque non quidem petimus absolute, ut DEVS tentari nos non permittat, quia tentatio sæpe utilis est ad augmentum Virtutum, præsertim Humilitatis, & Patientiæ; unde inquit citatus S. Jacobus. v. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet Coronam Vitæ, quam repromisit DEVS diligentibus se.* Verum petimus, ut vel nos tentari non sinat, vel non permittat tentationi succumbere. Propterea semper cum virium nostrarum diffidentiâ, & Confidentiâ in DEVM morem geramus Christo hortanti Matth. c. 26. v. 41. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem: Cujus mox subijcit rationem: Spiritus quidem promptus est: caro autem infirma.* Sic autem tentationibus resistentes, forti ani-

100 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum,*  
mo sumus; ipse enim DEVS apud Regium Psalmen Pl. 90  
ait: *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum,*  
*quoniam cognovit Nomen meum: Clamabit ad me, & Ego*  
*exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum*  
*& glorificabo eum.*

PUNCT. III. *Sed libera nos à malo. Amen.* Matth  
6. v. 14. Præcipuum malum, à quo liberi esse jam an  
tè petivimus, quando, ne in tentationem induceremur,  
mur, precati sumus, & à quo hîc iterum liberari peti  
timus, est peccatum; est tamen hæc Petitio à prioribus  
diversa, quia præterea DEVM rogamus, ut à quovis  
alio malo nos liberet, quod verè nobis malum est; illud  
autem verè malum est, quod à Salute & Perfectione  
nostra nobis impedimento est. Unde non dicimus  
Libera nos à morbis, egestate, persecutionibus &c.  
quia hæc sæpe nobis bona sunt, & liberatio nobis ma  
la esset: sed Patris Cælestis Providentiæ, & Charita  
ti nos committentes ab omni eo malo liberari peti  
mus, quod nobis malum esse ipse novit. Itaque nos  
strum iudicium Divino submittamus; & nostram ve  
luntatem Divinæ conformemus, & omnem Fide  
ciam ac Spem nostram in Patris nostri Cælestis Sa  
pientia ac Bonitate constituamus. Conclusionis lo  
co ipse Christus adjecit vocabulum: *Amen*: quo  
nobis *Fiat*, quidquid tota Oratione petatum est,  
nius Adverbij, & renovati desiderij compendio con  
firmamus. Quemadmodum etiam Orationem me  
talem brevi cum DEO, & Sanctis instituto Col  
loquio, veluti Affectuum elicitorum Com  
pendio, rectè concludimus.

MED